



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Aliæ quædam Regulæ traduntur circa interpretationem Juramenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. II.

*Alia quedam Regula traduntur circa interpretationem Iuramenti.*

Generalis & optima regula est, quod Iuramentum bonâ fide præstitum interpretandum sit juxta intentionem jurantis, & ad incognita juranti, vel de quibus verò similiter non cogitavit, neque sub Iuramenti obligatione in se suscipere voluisset, extendendum non sit, juxta *c. Veniens 16. junct. Gloss. V. Præsumpsisset h. 1.* (Cum in tali casu defuerit voluntas, se obligandi ad incognita, vel tam ardua, quæ occasione Iurandi non præbuerunt) quod ipsum etiam probatur ex *c. Quintavallis 27. h. 1. & ex petitione 31. Eodem.*

Soler quidem ordinariè etiam dici, quod Iuramentum fortiatur naturam & conditiones actûs, cui adjungitur, & juxta illas sit intelligendum, cum accessorium sequatur naturam principalis juxta *reg. Jur. 4.2. in 6.* Et sumitur etiam ex *c. Quemadmodum. 25. h. 1.* Sæpè tamen non tam accessorium Iuramentum est confirmans præcisè actum cui adjungitur, sed per se stans, & principaliter obligationem inducens, quo in casu etiam si promissio nulla sit, sua tamen Iuramenti est obligatio, & consequenter non induit naturam actûs, cui adjungitur: nunquam tamen ita explicandum est, ut cum alterius gravi præjudicio seu incommodo obliget, ut colligitur ex *c. 27. h. 1.* quia tale Iuramentum est contra justitiam jus alterius graviter lædens.

## §. III.

*De conditionibus, quæ ipso jure tacitè insunt Iuramento, & plerumq; subintelligenda sunt.*

Quod Iuramento promissario tacitè quædam conditiones generalales insunt, secundum quas obligatio Iuramenti attendenda est ex dictis jam patet, & ex *c. Quemadmodum junct. Gloss. V. Condicio*, ita tamen, ut tales conditiones, quæ suapte naturâ tali Iuramento tacitè insunt, etiam si exprimentur, non faciant Iuramentum conditionatum, & particula *Si pro Quia* accipiatur, prout etiam sumitur ex *c. Significasti 4. junct. Gloss. V. Condizione de elect.* Tales conditiones sunt primò, si potero, quia ad impossibile nemo potest obligari. Secundò, si licitè potero, quia Iuramentum non est vinculum iniquitatis, & quod justè, ac licitè fieri non potest, non dicitur homini possibile. *Can. faciat. 15. junct. Gloss. V. Quod potest causa. 22. q. 2.* Tertio, si Deo placuerit; quia Deo non placent, nisi licita. Quarto, salvo jure, & auctoritate Superioris, quæ in omni Iuramento excepta videtur, cum subditus obligare se non possit in præjudicium auctoritatis Superioris, quominus hic in materia sibi præjudicante Iuramentum irritare possit. *c. Veniens 19. h. 1.* Quintò, nisi is, in cujus gratiam vel utilitatem Iuratum est, obligationem remittat, quia invito, & non acceptanti meam promissionem, aut remittenti (saltem tacitè) obligari non possum, si tamen principaliter tale Iuramentum promissorium non sit factum Deo, quo in casu ex probabili sententia homo, quamvis in gratiam ipsius